

- 150 id amabo adiuta me, quo id fiat facilius : 70
 sine illum priores partis hosce aliquot dies
 apud me habere. nil respondes? *PH.* pessuma,
 egōn quicquam cūm istis factis tibi respondeam?
PA. eu noster, laudo : tandem perdoluit : vir es.
- 155 *PH.* aut ego nescibam quorsum tu ires? “parvola 75
 hinc est abrepta ; eduxit mater pro sua ;
 sorōr dictast ; cupio abducere, ut reddam suis” :
 nempe omnia haec nunc verba huc redeunt denique :
 ego ēcludor, ille—recipitur. qua gratia?
- 160 nisi si illum plus amās quam me et istam nunc times 80
 quae advectast nē illum talem praeripiat tibi.
TH. ego[n] id timeo? *PH.* quid te ergo aliud sollicitat?
 cedo.
 num solus ille dona dat? nūm ubi meam
 benignitatem sensisti in te claudier?
- 165 nonne ubi mi dixti cupere te ex Aethiopia 85
 ancillulam, relictis rebus omnibus
 quaesivi? porro eunuchum dixti velle te,
 quia solae utuntur îs reginae ; repperi,
 heri minas viginti pro ambobus dedi.
- 170 tamen contemptus abs te haec habui in memoria : 90
 ob haec facta abs te spernor? *TH.* quid istic, Phaedria?
 quamquam illam cupio abducere atque hac re arbitror
 id fieri posse maxume, verum tamen
 potius quam te inimicum habeam, faciam ut iusseris.